

MISSÆ PROPRIÆ DIECESIS AUGUSTANÆ VINDELICORUM

FESTA DECEMBRIS

Die 15 decembris

S. Adelheidis Imperatricis, Viduæ
III classis

Missæ Cognóvi, de Communi non Virginum II loco.

Et fit commemoratio feriae.

FESTA MARTII

Die 15 martii

S. Clementis Mariæ Hofbauer Conf.
III classis

Commemoratio tempore quadragesimali

Missæ Iústus, de Communi Confessoris non Pontificis II loco cum orationibus ut infra:

Oratio

P

Deus, qui beátum Cleméntem Mariám miro fidei róbre et invictæ constantiæ virtúte decorásti: eius méritis et exéplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritate ferventes; ut præmia consequámur æterna. Per Dóminum nostrum.

Secreta

P

Ille nos, quæsumus, Dómine, devotiõnis ignis accéndat: quo beátus Clemens Mariá, dum salutárem offerret hóstiam, iúgiter flagrávit. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

P

Cælesti pane refectis concéde nobis, omnipotens Deus; ut beáti Cleméntis exéplis in fortitudine cibi illius usque ad montem, qui Christus est, feliciter perveniámus. Per Dóminum nostrum.

FESTA APRILIS

Die 5 aprilis

S. Crescentiæ Hæss Virginis
III classis

Commemoratio tempore quadragesimali

Missæ Dilexisti, de Communi Virginum III loco cum orationibus ut infra:

Oratio

P

Deus, qui in beáta Crescentia, Virgine tua, christiánæ perfectiõnis exéplum misericórditer tribuísti: præsta, quæsumus; ut, eius imitatiõni iúgiter inhærentes, glóriam consequámur æternam. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio S. Vincentii Ferrerii Conf.:

Deus, qui Ecclésiám tuam beáti Vincéntii Confessoris tui méritis et prædicatione illustráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut et ipsius instruámur exéplis et ab ómnibus eius patrocínio liberémur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Secreta

P

Sacrificium, Dómine, quod offerimus, suscipe placátus: et, intercedente beáta Crescentia, quæ inter mundánas sordes immaculátum virginitatis florem custodívit, concéde; ut ómnia ópera nostra sint tibi sacrificium laudis in odórem suavitatis. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Vincentio Ferrerio

Secreta

Laudes tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratiõne Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus et futúris. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

P

Preiósí Córporis et Sánguinis tui mystériis refecti, Dómine, precámur: ut, beáte Crescentiæ præclára virtútum exépla sequentes; ómnibus amótiis periculis, at te feliciter perveniámus: Qui vivis et regnas.

Pro S. Vincentio Ferrerio Postcommunio

Refecti cibo potuque cælesti, Deus nos-
ter, te supplices exoramus: ut, in cuius
hæc commemoratiõne percépimus, eius mu-
niámur et précibus. Per Dóminum nostrum.

Extra tempus quadragesimale missæ non con-
ventuales dici possunt etiam, iuxta rubricas, de S.
Vincentio Conf., ut in Missali hac die, cum com-
memoratione S. Crescentiæ Hæss.

Die 7 aprilis

S. Hermanni Iosephi Confessoris

III classis

Commemoratio tempore quadragesimali

Missa Os iusti, de Communi Confessoris non
Pontificis I loco, præter ea, quæ hic habentur prop-
ria:

Oratio

P

Deus, qui beátum Hermánnum Ioséphum
Confessórem tuum in benedictiõnibus
dulcedinis a pueritia prævenisti: præsta, quæ-
sumus; ut innocéntis et sanctæ vitæ eius vestí-
giis insisténtes, ad cælestem pátriam, in qua
gloriósus exsultat, secúri perveniámus. Per
Dóminum nostrum.

Evangelium:



Sequéntia sancti Evangélii secúndum
Matthæum. Matth. 11, 25-30

In illo témpore: Respóndens Iesus, dixit:
Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ,
quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudénti-
bus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater: quóni-
am sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádi-
ta sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium nisi
Pater: neque Patrem quis novit nisi Filius, et
cui volúerit Filius reveláre. Venite ad me, om-
nes, qui laborátis et oneráti estis, et ego refici-
am vos. Tóllite iugum meum super vos, et dis-
cite a me, quia mitis sum et húmilis corde: et
inveniétis réquiem animábus vestris. Iugum
enim meum suave est et onus meum leve.

Die 20 aprilis

S. Conradi a Parzham Confessoris

III classis

Missa Os iusti, de Communi Confessoris non
Pontificis I loco cum orationibus ut infra:

Oratio

P

Deus, qui miseriordiæ tuæ iánuam fidéli-
bus patére voluísti: te supplices exorá-
mus; ut, intercedénte beáto Conrado Confessó-
re tuo, temporália subsidia nobis tríbuas et
ætérna. Per Dóminum nostrum.

Secreta

P

Oblatiõnes nostras tibi, Dómine, quæsu-
mus, beáti Conrádi intercéssio veneránda
comméndet: quem coram tuis altáribus precán-
tem supernórum charismatum dulcédine recre-
ásti. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

P

Sumpsimus, Dómine, tua sancta, beáti Con-
rádi mérita recoléntes: præsta, quæsumus;
ut eius semper et præcláro proficiámus exém-
plo et fidéli muniámur auxílio. Per Dóminum
nostrum.

Die 27 aprilis

S. PETRI CANISII

Confessoris et Ecclesiæ Doctoris

II classis

Missa In médio, ut in Missali hac die.

FESTA MAII

Sabbato primo mensis maii

IN SOLEMNITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS PATRONÆ BAVARIÆ

I classis

Antiphona ad Introitum

Gaudeámus omnes in Dómino, Patrocí-
nium celebrántes gloriósa Virginitatis
Mariæ, de cuius solemnitáte gaudent
Angeli et colláudant Fílium Dei, allelúia, alle-
lúia. Ps. 43, 2 Deus, áuribus nostris au-dívi-
mus: patres nostri annuntiavérunt nobis.

V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui dilécti Fílii tui Genitricem nobis
Matrem ac Patrónam dare dignátus es:
concéde propítius; ut sub huius Matris tutéla
ab omni hóstium defendámur incúrsu, et sine
timóre in sanctitáte et iustítia serviámus. Per
eúndem Dóminum nostrum.

Lectio libri Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli.
Apoc. 12, 1, 5, 10 et 17

Signum magnum appáruit in cælo: múlier samicta solé et luna sub pédibus eius et in cápite eius coróna stellárum duódecim. Et péperit filium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea, et raptus est filius eius ad Deum, et ad thronum eius. Et audívi vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus et virtus, et regnum Dei nostri et potéstas Christi eius, quia proiéctus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte. Et irátus est draco in mulierem et ábiit fácere prælium cum réliquis de sémine eius, qui custódiunt mandata Dei, et habent testimónium Iesu Christi.

Allelúia, allelúia. **V. Num. 17, 8** Virga Iesse flóruit: Virgo Deum et hóminem genuit: pacem Deus réddidit, in se reconcilians ima summis. Allelúia. **V. Luc. 1, 28** Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúia.

In Missis votivis extra tempus paschale:

Graduale **Cant. 6, 3 et 9**

Tota formósa et suávis es, filia Sion; pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. **V. Iudith 13, 22** Benedixit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad nihilum redégit inimicos nostros.

Allelúia, allelúia. **V. Luc. 1, 28** Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur

Tractus **Ps. 44, 11 et 12**

Audi, filia, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex super spéciem tuam. **V. Ibid., 13 et 10** Vultum tum deprecabúntur omnes divites plebis: filiæ regum in honóre tuo. **V. Ibid., 15-16** Adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ eius afferéntur tibi. **V.** Afferéntur in lætítia et exultatióne: adducéntur in templum Regis.



Sequéntia sancti Evangéllii secúndum Ioánnem. **Io. 2, 1-11**

In illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galiléæ: et erat Mater Iesu ibi. Vocátus est autem et Iesus, et discípuli eius ad núptias. Et

deficiénte vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Dicit Mater eius minístris: Quodcúmque díxerit vobis, fácite. Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatiónem Iudæórum, capiéntes singulæ metrétas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hýdrias aqua. Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis Iesus: Hauríte nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum fáctam, et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant, qui háuserant aquam: vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriáti fúerint, tunc id, quod detérius est. Tu autem servásti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galiléæ: et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Credo.

Ant. ad Offertorium **Ierem. 18, 20**

Recordáre, Virgo Mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis, allelúia.

Secreta

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, précibus beátæ Mariæ semper Vírginis, cuius Patrocínio gloriámur, fidéles tui hóstiam salutárem tibi fervéntius ófferant, et consequántur efféctum. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de Beata Maria Virgine Et te in Festivitate.

Ant. ad Communionem **Cant. 2, 3**

Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, et fructus eius, dulcis gútturi meo, allelúia.

Postcommunio

Cæléstibus pasti delíciis, te súpplices deprecámur, Dómine, Deus noster: ut, beáta María semper Vírgine protegénte, ab erróribus sæculi carnisque illécebris serváti, et in fide inveniámur stábiles et in ópere effícaces. Per Dóminum nostrum.

Die 13 maii

S. Roberti Bellarmino
Ep., Conf. et Eccl. Doctoris
III classis

Commemoratio Translationis S. Udalrici Ep. et Conf.:

Oratio

P

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut Translationis beati Udalrici Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, et devotiõnem nobis augeat et salutem. Per Dõminum nostrum.

Secreta

P

Hæc mûnera, quæsumus, Dõmine, clementer suscipe: et, intercedente beato Udalrico Confessore tuo atque Pontifice, nobis salutaria esse concede. Per Dõminum nostrum.

Postcommunio

P

Gustu salutaris Hõstie recreati, omnipotentiam tuam, Dõmine, suppliciter exoramus: ut, intercedentibus sancti Udalrici Confessoris tui atque Pontificis meritis; nos intèrius et extèrius ab omni adversitate custodias. Per Dõminum nostrum.

Die 16 maii

S. Ioannis Nepomuceni Martyris
III classis

Antiphona ad Introitum **Eccl. 51, 30**

Dedit mihi Dõminus linguam mercèdem meam: et in ipsa laudabo eum. (T. P. Allelúia, allelúia.) **Ps. 38, 2** Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. **V. Glória Patri.**

Oratio

Deus, qui ob invictum beati Ioannis sacramentale silentium nova Ecclèsiam tuam martyrii corõna decorasti: da nobis, eius intercessiõne et exemplo, linguam caute custodire; ac omnia pótius mala quam animæ detrimentum in hoc sæculo tolerare. Per Dõminum nostrum.

Et fit commemoratio S. Ubaldi Episcopi et Confessoris:

Auxilium tuum nobis, Dõmine, quæsumus, placatus impende: et, intercessiõne beati Ubaldi Confessoris tui atque Pontifi-

ficus, contra omnes diaboli nequítias dexteram super nos tuæ propitiatiõnis extende. Per Dõminum nostrum.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccl. 21, 26-31

Sultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium: et prudens gravabitur contumelia. Labia imprudentium stulta narabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum: et in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur: et, qui cum eo manserit, odiosus erit: tacitus et sensatus honorabitur.

Tempore paschali:

Allelúia, allelúia. **V. Eccl. 25, 11** Beatus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indigni se. Allelúia. **V. Prov. 10, 31** Lingua pravorum peribit: lingua autem sapientium est sanitas. Allelúia.

In Missis votivis extra tempus paschale:

Graduale

Prov. 11, 13

Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat. **V. Ps. 14, 1 et 3** Dõmine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui non egit dolum in lingua sua: nec fecit proximo suo malum.

Allelúia, allelúia. **V. Eccli. 25, 11** Beatus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur

Tractus

Iac. 1, 26; 3, 2 et 7-8

Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. **V. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. V. Omnis enim natura bestiarum domantur, et domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.**



Sequencia sancti Evangelii secundum Matthæum. **Mt. 11, 2-10**

In illo tempore: Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium

exspectámus? Et respóndens Iesus, ait illis: Eúntes renuntiáte Ioánni, quæ audístis et vidístis. Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur: et beátus est, qui non fúerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus, cœpit Iesus dícere ad turbas de Ioánni: Quid existis in desértum vidére? Arúndinem vento agitátam? Sed quid existis vidére? Hóminem móllibus vestítum? Ecce qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt. Sed quid existis vidére? prophétam? Etiam dico vobis, et plus quam prophétam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te.

Ant. ad Offertorium **Eccli. 42, 1**

Non dúplices sermónem de revelatióne sermónis absconditi, et eris vere sine confusióne: et invénies grátiam in conspéctu ómnium hóminum. (T. P. Allelúia.)

Secreta

Hæc tua, Dómine, sacra mystéria illum in nobis, quæsumus, ignem accéndant: quo inclitus Martyr et Sacérdos tuus Ioánnes, ea peragéndo, flagrâbat. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Ubaldo **Secreta**

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætíficant: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Ant. ad Communionem **Isai. 6, 6-7**

Volávit ad me unus de Seráphim: et in manu eius cálculus, quem túlerat de altári, et tétigit os meum. (T. P. Allelúia.)

Postcommunio

Fragilitátem nostram, Dómine, cæléstis hæc mensa fórtium pane confirmet: qui beáti Mártyris et Sacerdótis tui Ioánnis tentátam contra honórem sacraménti constántiam, iúgi-ter áluit ad victóriam. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Ubaldo **Postcommunio**

Præsta quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Ubáldo Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum.

Extra tempus quadragesimale missæ non conventuales dici possunt etiam, iuxta rubricas, de S.

Ubaldo Ep. et Conf., ut in Missali hac die, cum commemoratione S. Ioannis Nepumuceni.

FESTA IUNII

Die 5 iunii

S. BONIFATII

Episcopi et Martyris

II classis

Missa Exsultábo, ut in Missali hac die.

FESTA IULII

Die 2 iulii

IN VISITATIONE

BEATÆ MARIE VIRGINIS

Titulus Ecclesiæ cathedralis

I classis

pro choro Ecclesiæ Cathedralis tantum

Omnia ut in Missali, die 2 iulii, sed sine commemoratione.

Die 4 iulii

S. UDALRICI

EPISCOPI ET CONFESSORIS

PATRONI PRINCIPALIS

CIVITATIS ET DIŒCESIS

I classis

Antiphona ad Introitum **Eccl. 51, 30**

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in ætérnum. (T. P. Allelúia, allelúia.) Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis eius. V. Glória Patri.

Oratio

P

Deus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalrici Confessoris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Augustæ in ipsa S. Udalrici Ecclesia dicitur sequens

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ánnua recursióne depositiõnis sancti Udalrici Confessoris tui atque Pontíficis lætíficas: eius, quæsumus, suffragántibus méritis concéde propítius; ut ab imminéntibus perículis liberémur et ætérnis gáudiis pérfrui mereámur. Per Dóminum nostrum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Hebræos.
Hebr. 13, 7-17

Fratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Iesus Christus heri et hódie: ipse et in sæcula. Doctrínis váriis, et peregrínis nolite abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis: quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non hábent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Iesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus igitur ad eum extra castra, impropérium eius portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confidéntium nómini eius. Beneficéntiæ autem, et communiónis nolite oblivisci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obædite præpósitis vestris, et subiacéte eis. Ipsi enim pervigilant quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Graduale **Eccl. 44, 16**

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo. **V. Ibid., 20** Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúia, allelúia. **V. Ps. 109, 4** Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órđinem Melchisedech. Allelúia.


Post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur

Tractus **Ps. 111, 1-3**

Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen eius: generátio rectórum benedicétur. **V.** Glória et divítiæ in domo eius: et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Tempore autem paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur

Allelúia, allelúia. **V. Ps. 109, 4** Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órđinem Melchisedech. Allelúia. **V.** Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúia.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. **Marc. 13, 33-37**

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vidéte, vigiláte, et oráte: nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo, qui péregre proféctus relíquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cuiúsque óperis, et ianitóri præcépit ut vigilet. Vigiláte ergo (nescítis enim quando dóminus domus véniat: sero, an média nocte, an galli cantu, an mane) ne, cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico, ómnibus dico: Vigiláte.

Credo.

Ant. ad Offertorium **Ps. 88, 21-22**

Invéni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. **(T. P. Allelúia.)**

Secreta

P

Hæc múnera, quæsumus, Dómine, cleménter súscipe: et, intercedénte beáto Udalríco Conféssore tuo atque Pontífice, nobis salutária esse concéde. Per Dóminum nostrum.

Ant. ad Communionem **Luc. 12, 42**

Fidélis servus et prudens, quem constitúit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram. **(T. P. Allelúia.)**

Postcommunio

P

Gustu salutáris hóstiæ recrátí, omnipoténtiam tuam, Dómine, suppliciter exorámus: ut, intercedéntibus sancti Udalríci Conféssoris tui atque Pontíficis, méritis; nos intérius et extérius ab omni adversitáte custódiás. Per Dóminum nostrum.

FESTA AUGUSTI

Die 7 augusti

**S. AFRÆ Virginis et Martyris
Patronæ secundariæ Diœcesis
II classis**

Missa Loquébar, de Communi Virginum et Martyrum I loco cum orationibus ut infra:

Oratio

P

Omnípotens sempitérne Deus, qui primórdia Ecclésiæ Augustánæ pretiósó beátæ Virgínis Afræ mártýrio illustrásti: concéde propítius; ut eiúsdem in fide constántiam secántes, ad tuam glóriam perveníre mereámur.

Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio S. Caietani Confessoris:

Deus, qui beáto Caietáno Confessóri tuo apostólicam vivéndi formam imitari tribuísti: da nobis, eius intercessióne et ex-émplo, in te semper confidere et sola cæléstia desideráre. Per Dóminum nostrum.

Secreta

P

Accipe, quæsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et, beátæ Afræ Vírginis et Mártiris tuæ suffragántibus méritis, ad nostræ salutis auxiliúm proveníre concéde. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Caietano

Secreta

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

P

Quæsumus, Dómine, Deus noster: ut sacrosáncta mystéria, quæ pro reparatiónis nostræ muníminæ contulísti; intercedénte beáta Afra Vírgine et Mártire tua, et præsens nobis remédiúm esse fácias et futúrum. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Caietano

Postcommunio

Quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Caietáno Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

FESTA SEPTEMBRIS

Die 6 septembris

S. Magni Abbatis

III classis

Missa Os iusti, de Communi Abbatum.

Die 17 septembris

S. Hildegardis Virginis

III classis

Antiphona ad Introitum

Ps. 72, 28

Mihi autem adhærere Deo bonum est, pónere in Dómino spem meam: ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas in portis filiæ Sion. **Ps. 40, 13** Me autem

propter innocéntiam suscepísti: et confirmásti me in conspectu tuo in ætérnum.

V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátam Hildegárdem Vírginem tuam donis cæléstibus decorásti: tribue, quæsumus; ut, eius vestígiis et documentis insistentés, a præsentis sæculi calígine ad lucem tuam delectábilem transire mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Confessoris:

Dómine Iesu Christe, qui, frigescente mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francisci passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde propítius; ut eius méritis et precibus crucem iúgiter ferámus, et dignos fructus pœnitentiæ faciámus: Qui vivis et regnas.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios. **1 Cor. 1, 26-29**

Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes: et infirma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: et ignobília mundi, et contemptibília elegit Deus, et ea, quæ non sunt, et ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspectu eius.

Graduale

Cant. 3, 4 et 6, 2

Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam. **V. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.**

Allelúia, allelúia. **V. Isai. 61, 10** Exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salutis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. Allelúia.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur

Tractus

Sap. 4, 1-3

O quam pulchra est casta generátio cum claritáte: immortalis est enim memória illius, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. **V. Cum præsens est, imitantur illam, et desiderant eam, cum se edúxerit. V. Et in perpétuum coronáta triúmphant, incoinquinatórum**

certáminum præmia vincens.

Tempore paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur

Allelúia, allelúia. **V. Ps. 30, 22** Benedictus Dóminus: quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta. Allelúia. **V. Prov. 4, 9** Lætáre, mater nostra, quia dabit Dóminus cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclita próteget te. Allelúia.



Sequéntia sancti Evangéllii secúndum Mattháeum. **Matth. 25, 1-13**

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Simile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ, accipiéntes lám-pades suas, exiérunt óbviám sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampá-dibus, non sumpsérunt óleum secum: prudén-tes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampá-dibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média au-tem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus ve-nit, exíte óbviám ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lám-pades suas. Fá-tuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lám-pades nostræ extinguiúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad ven-déntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est iánua. Novíssi-me vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respón-dens, ait: Amen, dico vobis, nescio vos. Vigilá-te itaque, quia nescítis diem neque horam.

Ant. ad Offertorium **Ps. 41, 2 et 3**

Quemádmódum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Sitívít ánima mea ad Deum fortem vivum.

Secreta

Sanctæ Hildegárdis Virgínis tuæ festa reco-léntes, preces offérimus et hóstias immo-lámus: præsta, quæsumus, Dómine; ut, cum præsidio temporáli, vitæ nobis præbeant incre-ménta perpétuæ. Per Dóminum nostrum.

Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Fran-cisci Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicata sanctífica: Met, intercedénte beáto Francíscó, ab omni nos culpárum labe purífica. Per Dó-minum nostrum.

Ant. ad Communionem Philipp. 1, 20 et 21

Magnificábitur Christus in córpore meo, si-ve per vitam, sive per mortem: mihi enim ví-vere Christus est, et mori lucrum.

Postcommunio

Perpétuo, Dómine, favóre proséquere, quos réfcis divíno mystério: et quos imbuísti cæléstibus institútis; eósdem, intercedénte beá-ta Hildegárde Virgine tua, salutáribus comítare solátiis. Per Dóminum nostrum.

Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Fran-cisci Postcommunio

Deus, qui mira Crucis mystéria in beáto Francíscó Confessóre tuo multifórmi-ter demonstrásti: da nobis, quæsumus; de-votiónis suæ semper exémp-la sectári, et as-sídúa eiúsdem Crucis meditatióne muníri. Per Dóminum nostrum.

Die 25 septembris

S. Nicolai de Flüe Confessoris

III classis

Antiphona ad Introitum **Ps. 54, 8, 10**

Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitú-dine: quóniam vidi iniquitátem et con-tradictiÓNem in civitáte. (T. P. Allelúia, allelúia.) **Ps. ibid., 2-3** Exáudi, Deus, oratiÓNem meam, et ne despexéris deprecatiÓNem meam: inténde mihi, et exáudi me.

V. Glória Patri.

Oratio

Beáti Nicolái, Confessoris tui, intercessió-ne suffúlti, te, Dómine, suppliciter exorá-mus: ut gentem nostram benigna semper pro-tectione custódiás, eiúsq-ue rectóribus grátia-e tuæ lumen cleménte infúndas. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romá-nos. **Rom. 14, 17-19**

Fratres: Non est enim regnum Dei esca et potus, sed iustítia, et pax, et gáudium in Spírítu Sancto. Qui enim in hoc servit Christo,

placet Deo, et probátus est homínibus. Itaque quæ pacis sunt, sectémur. Et quæ ædificatiónis sunt, in invicem custodiámus.

Graduale **Ps. 121, 7-8**

Fiat pax in virtúte tua, et abundántia in túribus tuis. **V.** Propter fratres meos et próximos meos, loquébar pacem de te.

Allelúia, allelúia. **V. Ps. 54, 23** Iacta cogitatum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. Allelúia.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur

Tractus **Ps. 33, 9-11**

Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus. **V.** Beátus vir, qui sperat in eo; quóniam nihil deest timéntibus eum. **V.** Dívites eguerunt et esuriérunt; inquirentes autem Dóminum non defícient omni bono.

Tempore autem paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur

Allelúia, allelúia. **V. Ps. 54, 23** Iacta cogitatum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. Allelúia. **V. Ioan. 6, 52** Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Allelúia.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. **Matth. 19, 27-29**

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit filius hóminis in sede maiestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Ant. ad Offertorium **Ps. 30, 4**

Dómine, fortitúdo mea et refúgium meum es tu, et propter nomen tuum dedúces me et enútries me. (T. P. Allelúia.)

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Nicoláo Confessóre tuo, per éadem nos benignus inténde: ut tibi famulántes in terris, glória tua perfruámur in cæ-

lis. Per Dóminum nostrum.

Ant. ad Communionem **Gal. 2, 19**

Christo confixus sum cruci. Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus. (T. P. Allelúia.)

Postcommunio

Mysteriórum tuórum nos, quæsumus, Dómine, commúnio sancta restáuret: ut beáti Nicolái sequéntes exémpla, in tuo semper amóre crescámus. Per Dóminum nostrum.

Die 28 septembris

**IN DEDICATIONE
ECCLESIAE CATHEDRALIS**

I classis

Missa Terríbilis, de Communi Dedicatiónis Ecclesiæ.

FESTA OCTOBRIS

Die 12 octobris

In Ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali:

**IN DEDICATIONE
PROPRIÆ ECCLESIAE**

I classis

Missa Terríbilis, de Communi Dedicatiónis Ecclesiæ.

Die 13 octobris

S. Sintperti Episcopi et Confessoris

III classis

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis I loco præter orationem sequentem:

Oratio

P

Deus, qui nobis beáti Sintpérti Confessoris tui atque Pontíficis gloriósa mérita virtútibus et miráculis evidénter declarásti: da nobis eius patrocínio salútem mentis et córporis; ut, ipsíus exémpla sequéntes, a malis ómnibus liberáti, ad te felíciter pervenire mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio S. Eduardi Regis, Confessoris ut in Missali hac die.

Missæ non conventuales dici possunt etiam, iuxta rubricas, de S. Eduardo Rege, Conf., ut in Missali hac die, cum commemoratione S. Sintperti.

Die 16 octobris

**S. Hedwigis Viduæ
III classis**

Commemoratio S. Galli Abbatis:
Missa Os iusti, de Communi Abbatum.

Die 27 octobris

**S. Wolfhardi Confessoris
III classis**

Missa Iustus, de Communi Confessoris non
Pontificis II loco.

Die 31 octobris

**S. Wolfgangi Ep. et Conf.
III classis**

Missa Sacerdotes tui, de Communi Confessoris
Pontificis II loco præter orationem sequentem:

Oratio

P

Deus, qui nobis æternæ salutis beatum
Wolfgangum Episcopum ministrum tri-
buisti: præsta, quæsumus; ut, quem doctorem
vitæ habuimus in terris, intercessorem habere
mereamur in cælis. Per Dóminum nostrum.

FESTA NOVEMBRIS

Die 5 novembris

**Sacrarum Reliquiarum
quæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur
III classis**

Missa Multæ tribulatiões, ut inter festa pro ali-
quibus locis.

Die 13 novembris

**S. Stanislai Kostkæ Confessoris
III classis**

Missa Consummátus, ut inter festa pro aliqui-
bus locis.

Et fit commemoratio S. Didaci Conf., ut in Mis-
sali hac die.

Missæ non conventuales dici possunt etiam,
iuxta rubricas, de S. Didaco Confessore, ut in Mis-
sali hac die, cum commemoratione S. Stanislai.

Die 26 novembris

**S. Conradi Episcopi et Confessoris
III classis**

Missa Sacerdotes tui, de Communi Confessoris
Pontificis II loco.

Et fit commemoratio S. Silvestri Abbatis ac S.
Petri Alexandrini Episcopi et Martyris, ut in
Missali hac die.

Missæ non conventuales dici possunt etiam,
iuxta rubricas, de S. Silvestro Abbate, ut in Mis-
sali hac die, cum commemoratione S. Conradi ac
S. Petri Alexandrini.